

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

cium velis expectare: Vermem non moriturum. *Esaï 66. v. 24. Marc. 9. v. 44.*

II. Non timendi Tyranni, qui nec ipsi à vermibus turti esse possunt. Quos viuos non consumunt, eosdem tamen absument mortuos. *Esa. 51. v. 8. & 41. v. 11.*

III. Cristas demitete discant, qui vel corporis forma vel generis nobilitate superbiūt. Quid superbit vermium esca: *Der Madensack/ Job 25 v. 6. Syrac. 10. v. 10.*

Quid gloriaris de profapia, cognatis: Putredo & vermes tui proximi erunt agnati, vbi fueris mortuus.

F I N I S.

T H E M A X X X V.

Hiob. 19. v. 25. ad. 28.

Scio, quod Redemptor meus viuit, &c.

DISPOSITIO.

Hæc sententia Hiobis est tanquam pretiosissima gemma in annulo aureo, & superat omnes alias. Estque testimonium luculentissimum, quod licet bonus Hiobus victus magnitudine doloris ex impatientia quædam fuerit proloquutus contra Deum (quo nomine Deus ipsum reprehendit, *Hiob 38. v. 2 & 40 v. 3. vt tandè fateri culpam cogatur, Hiob. 39 v. 36. & 42. vers. 3.*) tamen fidem & spem suam in Deum non abiecerit: sed diuina adiutus gratia in fide permanserit constans. Et singulari quidem fulgore Spiritus sanctus mentem Hiobis illustrauit, dum illi inter medias desperationis cogitationes hanc diuinam consolationem distulit. Vere igitur Hiobus hæc non ex se, sed diuini numinis affatu loquutus est.

Singula verba sunt emphatica & vrgentissima, quæ nobis quoque multiplicem monstrabunt doctrinam & consolationem: quia in his exquisitissimam tradit Hiob, Articulorum nostri symboli trium, (X. XI. & XII.) explanationem, De Remissione peccatorum, Resurrectione carnis, & vita æterna.

G 3

Quia

Quia etiam Hiobus duplex expertus est tentationes, internas & spirituales ratione animæ: & corporales atque externas, corporis morbidi ratione: ideoque etiam duplici consolatione satanæ tela excipit, & sic animæ & corpori ab hoste infensissimo securitatem præstat. Nos iam istam consolationem breviter secundum ordinem trium symboli articuloꝝ, (quos hic tractat) examinabimus, & ad vñm nostrum accommodabimus.

I. Pars.

Hiobum afflictissimum non tam corporis dolores, quam peccata & animi dolores interni angunt. Sicut hoc etiam Hiskias queritur, Esa. 38. v. 17. Hinc sapius cupit tolli suas iniquitates. Hiob 7. v. 21. **Quare non remittis mihi &c.** Et 9. v. 28. non finis me esse innocentem Et cap. 30. v. 6 inquis mea peccata, &c. & 23. vers. 22. **Quantas habeo iniquitates?** lam igitur sic afflicus non potest aliter cogitare, nisi quod à Deo abiectus sit. De hoc multum queritur, & hoc ipso capite vers. 11. Iratus est furor ipſius & inimicum me sibi facit, &c. Et vers. 21. Manus Domini me recegit. At recipit animum mediante gratia Spiritus sancti: & in morte videt vitam: atque decimum symboli articulum arripit, credens remissionem per redemptorem partam.

1. Et sic exclamat, Licet miser & afflictissimus sim, tamen ego scio *Redemptorem*. Christum filium Dei videt in spiritu, qui dedit vitam suam redemptionem. Matth. 20. v. 28 Et per quem habemus *Redemptionem* in sanguine suo. Rom. 3. v. 24 Eph. 1. v. 7.

2. Atque Redemptoris non aliorum tantum, sed *meus* etiam redemptor. Magna hæc *πληροφροσυνα*.

3. Vbi vero is redemptor? & quomodo redemptor, qui ipse occidendus & exterminandus ex terra viuentium? Dan. 9. v. 26. Imo viuít. Et mors ipsum non est superaturus, sed mortem ipse sit victurus. Ole. 13. v. 14 vt perpetuo viuat. Et licet ego moriar ipse, tamen viuít. Io. 14. v. 19.

4. For-

4 Fortassis spes tua vana erit, ô Hiob? Minime. Scio hoc Deus mihi dictavit & nihil dubito.

LOCVS. In hoc, charissimi, cardo salutis nostræ omnis vertitur, vt idem cum Hiobe sciamus & dicamus. Sumus enim omnes peccatores & destituimus gloria illa, Rom 3. v. 13. Dicendum: peccauimus, inique egimus, Dan 9. v. 5. Nec est iustus ne vnus quidem ex omnibus nobis, Rom 3. Psal. 14. Sed & pauci idem habebunt testimonium, quod Hiobus. Hiob. 1. v. 1, & 8. Nobis ergo confusio faciei. Ideoque quærendus Redemptor. Et præsto quidem est, si modo vera fide queratur. Habemus aduocatum, & propitiationem, 1. Ioan. 2. v. 2. Mediatorem, 1. Tim. 2. v. 5. Redemptorem qui factus est *λύτρον*, Matth. 20. vers. 28. Is venit saluare. 1. Tim. 1. vers. 13. Israel liberauit ex omnibus peccatis, Psal. 130. Credentes autem sunt Israel. Gal. 3. v. 7. Et liberauit non auro sed pretioso sanguine. 1. Pet. 1. v. 18. Estque liberatio æterna, Hebr. 9. v. 12.

Hic liberator fide apprehendendus est vt possit ex fide dicere Christianus, Scio quod redemptor viuat, & meus sit redemptor. Sic Paulus Gal. 2. v. 20. Dilexit me & tradidit seipsum pro me. Christus mihi vita Phil. 1. Hac fide iustus viuat, Hab 2 v 4.

Consolatio hæc facere potest contra omnes Satanz tentationes de peccato. Vt hoc est securum fidei, quo possunt excipi ignita Satanz tela, Ephes 6. versiculo decimo sexto.

II. Pars.

Accedamus ad alterum articulum, quem nobis hic explicat Hiobus, qui est de carnis resurrectione. Dum enim caro illi & Satanas dictarunt hoc, quid est quod gloriaris de Redemptore, cum tibi misere sit pereundum? Inspice cutem & pellem tuam sic onerosam & consumptam, vt putrefactioni & corruptioni sis proximus? Et quid iuuat, si tuus redemptor viuat, tu vero moriaris? At ne hoc quidem me terret, quo minus bene sperem

G 4 etiam

etiam de hac pelle & cute mea. Scio quidem me in terram esse recondendum, sed non ut perpetuo ibi hæream.

1. Etenim ille ipse meus redemptor postea, (post mortem) de terra resuscitabit : ut sicut ipse vivit, sic ego etiam, Joan. 14. v. 19.

2. Hac mea pelle circumdabor, & caro mea vivet. At tum non sic erit foeda & putrida, cum videbit Deum, sed novis qualitatibus exornata & glorificata. Et tamen hæc caro ratione substantiæ. *Wird aber ein besser anschen haben.*

LOCVS. Ecce tibi fidem antiquissimam de resurrectione carnis, ante annos 3346. Vixit enim post Abrahamum Hiobus, circa tempora Iacobi, anno mundi 2223.

Sicut autem ex præcedenti Hiobis doctrina de remissione peccatorum contra omnes spirituales tentationes firma peti potest consolatio, ita ex hoc loco contra omnes afflictiones corporis, consolatio sumi debet.

Est quidem corpus nostrum plus satis afflictum, & tandem cogitur emori, & computrescere. At in terram conditur, ut assumpris novis qualitatibus resurgat, sicut semen. 1. Cor. 15. Vide ibi v. 42 & seqq.

Sicut autem de resurrectione nostra non debemus dubitare, ita solari nos debemus illa carnis nostræ glorificatione, quæ omnem corruptionem & sceditatem atq; deformitatem tollet. Vide infra in dispositionibus Thematum Novi Testam. ex 1. Cor. 15. v. 49. Sicut gesta uimus imaginem, &c.

Nam cõforme reddetur glorioso corpori Christi. Philip. 3. v. 21. Patienter ergo fer carnis tuæ næuos, quia restituetur tibi caro glorificata. Et tamen ratione substantiæ erit hæc ipsa, quæ hic fuit tam misera & afflictæ caro.

Norandum hoc contra nugas Origenistarum, & fanaticorum quorundam, qui plane aliud corpus resurrectionum statuunt. Hoc vnum recreat Hiobum.

De resurrectione Christi alias sæpe ex professo dictum,

III. Loci.

Quod si tum denuo afflictionibus fueris obnoxius, optime Hiob, quid iuuabit surrexisset? At inquit;

1. *Tum videbo Deum in carne mea.* Apud Deum autem nulla afflictio Non dolor, Apoc 21 v 4.

2. Non videbo à longè, nec vt iudicem, sicut impiis-
sum videbunt, sed videbo eum *mih*i redemptorem, & c.
sicut Psal. 17. v. 15. videbo faciem eius, & saturabor.

3. Oculi mei videbunt, facie ad faciem, sicuti est, 1.
Joan. 1. Non in speculo & ænigmate, 1. Cor. 13. v. 12.

4. Ego non alienus. Non enim, qui alieni à Deo sunt
in hac vita, faciem ipsius lætam tum aspicient.

L. Habemus etiam articulum de vita æterna, qui nihil aliud erit, quam visio Dei facie ad faciem, 1. Joa. 3. v. 2. Hæc delectatio perpetua, Psal. 16. v. 11. Gaudiū hoc excitabit ineffabile & perpetuum Joa 16. v. 20. Consolatio sit hæc in omnibus ærumnis, vbi videtur Deus abscon-
dere, Thren. 3. v. 9. Ibi videbimus eum. Hoc vnum deside-
remus, 2. Cor. 1. Rom 8. v. 19.

Vnus huius loci sit etiam hic, vt cupiamus mori, & non inuiti relinquamus mundum, vel propter vnā hanc cau-
sam, vt videre possimus Deum, quem in hac vita separant à nobis peccata, Esa. 59 v. 2. Itinera difficilia interdum suscipimus, vt videamus parentes, amicos, & c. diu non visos. Quin potius cupiamus emigrare, vt videamus Deū Patrem verum, Eph. 3. v. 15. nunquam visum? & c.

F I N I S.

THEMA XXXVI.

Hiob. 30. v. 23.

Scio, quod morti trades me. vbi constituta domus om-
nis iuueni. Veruntamen, on ad tumulum mittes ma-
num tuam, neq; ad eius perditionem clamabunt (mortui.)

G 5 DIS.